

P R A E F A T I O.

literis seu characteribus non depinxisse, sed demum paulò post tempore Frider. II. Imp. sub Imperio Conradi IV. circa An. 1251. Germanicam liguam literis designari ac scribi cœpisse, beneficio Latinorum Characterum. Contrarium evincunt Otfredi Carmina, Notkéri Paraphrasis Psalmorum, atque alia plura ac vetustiora quoque Carolo IV. monumenta, quæ in Thesauro Antiquitatum Germanicarum congerimus. Sed & in Præfatione ad Jus Feudale Alemannicum, itemq; ad Chronicon Jac. Königshovii plura in hanc sententiam dicta sunt. Cæterūm nobile hoc Wehneri institutum, mox plures invenit imitatores, imprimis Rudergerum, Besoldum, Speidelium, Dietherum, Fritschium, & si quos alias. Est enim hic campus valdè fertilis, unde huic novæ Editioni accesserunt multæ additiones Casp. Bitschii, Antecessoris quondam Argentoratensis celeberrimi & aliorum, quorum nomina suis locis consignata. Prælaudati Rudergeri Observationes Wehnerianis adjunximus, tum ob exemplarium penuriam, tum ob paritatem argumenti; adjectis quibusdam annotationibus. Id quod Benevolo Lectori neque ingratum neque infructuosum fore reor. Postquam verò laudati Viri omnes ultra tempora Friderici II. non adscendunt, nec veteriores Scriptores Germanicos legerunt, igitur majorem nobis campum adhuc reliquerunt decurrenti per omnes, quos conquirere potuimus, & veteres auctores, & documenta prisca, priscasque leges. Etsi enim ea plurimūm Latino idiomate consignata fuerunt, continent tamen multa vocabula Teutonica, quæ aut Latinè reddere ignorarunt, aut ut res vulgo eò clarius exprimerent. Quod opus in compilando Glossario Teutono, cum DEO, subii, quodque Tomum Antiquitatum Patriarum peculiarem conficiet. DEUS Te servet Lector amantissime, & Tu fave. Argentorati, Cal. Martiis, M. DCC.

PAULI